



Hg. 13

24

DISPV TATIO PHILOSOPHICA  
P R I M A  
DE  
**VERITATE**

QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV

AD D. OCTOBRIS M DCC XXXV.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIET

**M. ERNESTVS CAROLVS  
WIGANDVS**

RESPONDENTE  
**SAMVELE RAYMANNO**

HVN GARO EPERIENSI COMITATVS  
SAROSIENSIS.

---

**HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS HENDELIANIS.**





VIRO  
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTIS-  
SIMO ET DOCTISSIMO  
**IO. ADAMO**  
**RAYMANNO**

MEDICINAE DOCTORI

COMITATVS SAROSIENSIS AC ZEMBLINIEN-  
SIS, ITEM REGIAE LIBERAEQVE CIVITATIS EPERI-  
ENSIS, PHYSICO ORDINARIO, ATQVE ACAD,  
CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGAE

PARENTI SVO OMNI  
PIETATE COLENDO  
HAS  
STVDIORVM PRIMITIAS EA QVA DE-  
CET FILIVM OBSERVANTIA.

D. D. D.

RESPONDENS.

PATER SVMMOPERE  
COLENDE


OMAGIA .OI

**N**Vilus dubito, quin mirum TIBI videatur,  
dum accipis iam, quod haud expectasti;  
disputationem scilicet, quam defendantam  
suscepi. Mirum TIBI videri potest, par-  
tim, quod TE parentem meum summopere colen-  
dum, hac de re non consuluerim, partim vero si  
consideras, anne audaciae potius, quam in litteris  
profectibus meis sit tribuendum. Tantum quidem  
noui, me, biennio vix cursus mei academici pree-  
terlapso, defendantis officio in omnibus non esse  
satisfactum, aliquo tamen modo me facere id  
posse arbitror. Quare, licet ab omni audacia, me  
purgare non possim, hanc tamen TE non prorsus  
reprehensurum esse, credo. Et, cum hac ratione  
persuasus fuerim, fore ut TIBI non dispiceat, si  
prae-

praesenti exercitio disputatorio vires meas tentarem, ignoscas mihi quod consilium T V V M mihi non expetierim. Postulat id quoque munerum ratio. Quis enim alteri, diu ante indicat, quod offerre ipsi vult. Pater omni pietate colende, omnia maxima & minima, si a D E O discesserim, T I B I debo, nihil ergo habeo, quod non maximo iure a me postulare possis. Et hanc ob causam, offero T I B I hanc disputationem, cuius quidem auctor non sum, quam tamen eatenus vindicare mihi possum, quatenus eam defendi. Accipe igitur primicias has eruditionis meæ, tanquam signum mei erga T E amoris pietatisque; imo contentus sis hisce, donec alia tandem ratione ostendere possim, me studuisse desiderio votisque T V I S paternis satisfecisse. Ceterum seruet T E D E V S optimus maximus, saluum ac incolumem ad canitiem usque in sui nominis gloriam, aegrotorum salutem, familiae speciatim nostrae solatium atque emolumentum. Vale. Dabam. Hala<sup>e</sup> Magdeburgicae,  
d. Octobris MDCCXXXV.



## PRAEFATIO.

 Argumentum iam ingressus sum, cuius quidem dignitatem, si in j<sup>e</sup>c<sup>t</sup>o consideres, nihil sane magis se commendabit quam idem illud. Veritari enim nobis omnibus studendum est. Necessarium igitur esse, distincte sibi representare quid verum sit, & quomodo hoc se distinguat a falso, imo quod ad quodvis veritatis genus pertineat, ut ad eam inquirendam reddamur optiores, nemo negabit. Quodsi vero ita illud spectes, quatenus pertractandum sumsi, non eodem fortassis modo se commendabit. Cum enim in omnibus Philosophiae compendiis etiam de veritate quaedam tradantur, indignum videri potest, quod singulis disputationibus de eo agatur. Ego quoque ex eadem ratione illud non elegisssem, nisi alia occasione in illud incidis-

incidisset. Meditans enim de alio, ab hoc non valde alieno, intellexi, hoc non recte posse explicari, si illud sicco quase pede vellem transire. Conjurui igitur ista combinare, atque una Disputatione complecti. Postea vero quam incepit de veritate meditari, fieri illud ob argumenti Copiam non posse, facile perspexi. Mutavi ergo consilium, ita ut nunc aliquas de veritate Disputationes scribere placeat. Non igitur me deterret quod in compendiosis & systematis, hinc inde quedam de veritate tradantur. Nam de iis tantum scribere, de quibus aut nihil ante, aut nihil solidi scriptum est, pro hodierno rerum statu fieri nequit. Si itaque accideret, ut nihil in hac & sequentibus Disputationibus reperias, quod tibi non aliunde iam notum sit, sufficiet tamen mibi ea una serie pertractasse, & demonstrasse, quae in aliis scriptis sparsim inuenies. Imo sufficeri mibi, si haec ita, quod non dubito, erunt comparata, ut illud cuius gratia, haec scripta, argumentum eo facilius possit demonstrari. Porro si consideres, hanc non unicam huius argumenti esse Disputationem, sed plures de eodem, DEO volente, esse securas, spero, fore ut mibi non idem, quod in aliis reprobandi deberet, qui methodo demonstrativa scribunt, tribuas vitium, si videbis principia quibus usus, aequem magnum quam tractationem ipsam implere sparsum.

CAPUT

## C A P V T I.

*De principiis quibusdam generibus.*

## §. I.

**D**uo sunt generalia omnis cognitionis nostrae principia: contradictionis scilicet & rationis sufficientis. Secundum illud, impossibile est idem simul esse & non esse. Secundum hoc vero, nihil est sine ratione sufficiens. Prius est indemonstrabile; posterius autem demonstrabile.

## §. II.

Idem esse, & idem non esse, sunt opposita, vnum enim destruit quod alterum ponit. Ergo opposita simul esse nequeunt. In oppositis vero idem de eodem simul affirmatur & negatur. Simultanea autem eiusdem de eodem affirmatio & negatio dicitur contradictionis, & contradictionem inuoluere dicuntur ea, de quibus idem adfirmandum & negandum. Ergo contradictoria & quæ contradictionem inuoluunt, esse nequeunt (§. I.).

## §. III.

A principio itaque contradictionis pendet, vt cum aliquid sit, non possit esse, vt non sit, & vt, cum aliquid non sit, non possit esse vt sit. Adeoque vt dicere possum, esse aliquid id quod est, & non esse aliquid illud, quod non est.

## §. IV.

In oppositis vnum negat id, quod alterum adfirmit, vel quod vnum adfirmit, negat alterum (§. II.) e.g. funto C & D opposita. Si iam dico A est C, & A est D.  
D negat

❀ ( 9 ) ❀

D negat id quod adfirmat C. Ergo A, C & D esse nequit (§. I. II.). Iam si ostenditur A non esse D, remanet illud, quod A sit C. Cum igitur nihil nunc sit, quod contradicat A esse C; adsumo A esse C (§. III.). Ergo in oppositis vel contradictoriis, si vnum est, alterum non est, & si vnum non est, alterum est, & quidquid eorum vel est vel non est, eius oppositum inuoluit contradictionem.

§. V.

Cum id, quod contradictionem inuoluit esse nequeat (§. II.), sequitur vt illud, quod nullam inuoluit, esse possit (§. IV.). Posterior vocatur possibile; prius autem impossibile. Possibile itaque inuoluit tam id, quod est, quam illud, quod non est sive existit, esse tamen potest; impossibile vero id, quod neque est, neque esse potest.

§. VI.

Impossibile inuoluit contradictionem (§. V.). Si igitur ei, quod impossibile est, responderet notio aliqua, idem simul repraesentari deberet, vt aliquid, quod simul est & non est. Hoc autem fieri nequit. Ergo impossibili seu ei, quod impossibile est, nulla respondet notio. Contra vero possibili notio semper respondet (§. IV.). Adeoque id quod est possibile, est quoque conceptibile & intellegibile.

§. VII.

Omnia aut in se seu absolute, aut relativae seu hypothetice possunt considerari. In se autem considerari aliquid dicitur, si modo attendimus ad essentiam eius, seu quod eius loco est, definitionem; hypothetice vero, si praeter adlata, quoque ad alia attendimus. Iam si aliquid dicitur possibile vel in se vel hypothetice ita potest considerari.

B

derari.

derari. Quare aliquid vel absolute vel hypothetice est possibile. Cum autem in possibilitate alicuius rei hypothetica ad plura attendamus, quam in absoluta; ab hac ad illam argumentari non licet.

## §. VIII.

Cum id, quod est possibile, possit existere (§. V.); existere autem & posse existere, diuerſa sint, itemque in eo, quando aliquid exigit, aut ad existentiam peruenire debet, plura consideranda veniant, quam si aliquid modo ut possibile confidero; a possibilitate neque ad existentiam seu actualitatem valet consequentia, neque ad futuritatem existentiae.

## §. IX.

Cuius oppositum impossibile seu contradictionem inuoluit, id dicitur necessarium. Est itaque aliquid vel absolute vel hypothetice necessarium (§. VII.).

## §. X.

Essentia rei in genere definitur per modum possibilis. Si igitur essentia rei ponitur in hoc modo possibilis, alias oppositus inuoluit contradictionem (§. IV.) adeoque essentia rei est necessaria. Cum autem, si de essentia rei in genere sermo est, modus ille possibilis quoque in se consideratur; essentiae rerum sunt absolute necessariae. Non autem argumentari licet ab essentiae rei absoluta necessitate, ad eiusdem existentiae absolutam necessitatem (§. VII. VIII.).

## §. XI.

Quae absolute sunt necessaria, eorum oppositum absolute inuoluit contradictionem (§. IX.) adeoque quidquid eis opponitur, esse nequit, adeoque nec alia ratione

ne

❀ ( 11 ) ❀

ne esse possunt, quam sunt. Ergo sunt immutabilia. & cum terminus nullus possit poni, quo talia incepint esse, aut quo desinent talia esse, sunt aeterna. Essentiae rerum sunt absolute necessariae (§. X.). Ergo essentiae rerum sunt immutabiles atque aeternae.

§. XII.

Determinatum id esse dicitur, de quo aliquid debet adfirmari. Determinare aliquid, est, facere ut aliquid, non aliud, de eo debeat adfirmari. Determinari autem per aliud dicitur aliquid, si de hoc propterea aliquid adfirmandum, quod de alio aliquid debet adfirmari. Determinantia dicuntur ea, per quae determinantur alia; ea vero, quae per illa determinantur, determinata, & determinabilia, quae per alia possunt determinari. Ita e.g. hanc mensam determinatam esse dicimus, quia de eadem adfirmare debemus, superficiem eius esse figuram planam, quatuor habere angulos rectos, quatuor latera, quorum opposita aequalia, quatuor pedes, pedes eius hanc a se inuicem habere distantiam, hanc eius esse altitudinem a terra &c. Faber ita eam determinauit, fecit enim ut haec omnia de eadem debeat adfirmari, faber atque instrumenta, quibus est usus, sunt determinantia, & mensa ipsa determinabatur a fabro, quia de eo debebat adfirmari, eum id consilium cepisse, lignum parauisse, instrumenta adhibuisse & ea perpetrasse, quae ad illam conficiendam pertinebant. Et tunc mensa erat determinatum determinantium. Lignum autem ex quo parata est mensa, antequam confecta, erat determinabile.

§. XIII.

Ex quibus intelligi potest, determinata non esse,

B 2

nisi

nisi sint determinantia, & contra, positis determinantibus, poni etiam determinata. Determinantia enim ideo dicuntur, quia alia determinant, & determinata, quia determinantur per illa. Quare est nexus inter determinantia & determinata, ita ut ab his semper argumentari licet ad illa, & ab illis ad haec.

## §. XIV.

Si igitur determinantia sunt absolute necessaria, etiam determinata sunt absolute necessaria. Si vero illa hypothetica sunt necessaria, etiam haec hypothetica sunt necessaria (§. XIII. IX.).

## §. XV.

Omnia determinata aut extrinsece aut intrinsece determinata considerantur. Extrinsece scilicet aliquid est determinatum ratione temporis, loci, aliarumque circumstantiarum. Intrinsece autem determinatum aliquid dicitur, si modo attendimus ad ea, quae ei insunt, quaeque hac ratione de eodem debent adfirmari. Sic mensa intrinsece est determinata secundum omnes partes, ex quibus est composita, omnes enim illae de eadem debent adfirmari. Extrinsece autem est determinata ratione loci, adfirmari enim de ea debet, positam esse ad hanc parietem, si museum intras, ad dextram, hoc vel illud ei impositum est.

## §. XVI.

Ex quibus sequitur etiam determinantia vel intrinsece vel extrinsece determinare (§. XIII.). Sic mensam extrinsece determinant locus, quae ei imposta sunt, aut eam circumstant. Intrinsece autem aliquid determinare duplē admittere potest sensum. Quod enim

intrin-

intrinsece aliquid determinat, vel ita concipi potest, vt extra illud sit, vel ita, vt intra illud sit, atque alia in eo determinet, e. g. faber mensae alicuius est diuersum quid a mensa, intrinsece tamen eam determinare dicitur, quatenus efficit, vt ea quae in mensa sunt, de ea debeant adfirmari. Propter latera vero, quorum opposita aequalia in mensa sunt, adfirmare debemus: angulos sibi inuicem oppositos esse aequales, & latera opposita parallela. Quare per latera determinantur alia in mensa.

§. XVII.

Quae intrinsece sunt determinata, nec extra se admittunt determinantia, determinata sunt per se. Quae vero extra se admittunt determinantia, determinata sunt per alia. Inter existentia unum tantum est per se determinatum scilicet Deus. Reliqua omnia sunt determinata per alia.

§. XVIII.

Quae determinata sunt per se, extra se nulla admittunt determinantia (§. XVII.). Quare si considerantur vt determinata, in se ita considerari debent, adeoque sunt absolute necessaria (§. VII. IX.). Quae vero determinata sunt per alia, illa se habent vt sua determinantia (§. XIII. XIV.).

§. XIX.

In serie plurium determinantium & determinatorum, illud quod determinat aliquid, determinat quoque reliqua, quae per illud iterum determinantur e. g. sit series determinantium & determinatorum A. B. C. D. E. E determinatur per D. hoc per C. hoc per B. B vero per A. E non posset esse determinatum, nisi esset D.

B 3

(§. XIII.)

(§. XIII.) D autem non posset esse, nisi esset C. & hoc nisi esset B & A. Cum adeo E, non possit esse determinatum, nisi esset D, & hoc, nisi esset C &c. E quoque determinatum non posset esse, nisi esset A. adeoque ab A quod determinat B, pendet quoque, ut determinatum sit E. & si A non esset, E quoque non posset esse determinatum. Quae itaque determinantur per alia, vel mediate determinantur, vel immediate.

## §. XX.

Quae secundum omnia sunt determinata, quae enti cuidam insunt, aut de eodem debent praedicari, ea sunt omnimode determinata. Quae de realiua adfirmari debent, determinationem illius constituunt. Quare determinationem faciunt ea, quae in aliqua re determinata sumuntur. Omnimoda igitur determinatio est, quam omnia faciunt, quae in re quadam sunt determinata. Ex quibus intelligi potest, in quo consistat determinabilitas, scilicet in possibilitate determinationis (§. XII.).

## §. XXI.

Quae eodem modo sive intrinsece sive extrinsece, sive utroque modo simul sunt determinata, eadem sunt, reliqua vero diuersa. Quare a determinatione pendet, ut quaedam vel eadem vel diuersa habeantur, adeoque ut plura a se inuicem possimus distinguere.

## §. XXII.

Cum pateat iam ex paragraphis precedentibus, variis modis res posse determinari, operae pretium erit, inquirere, in quotnam, ex ipsa rerum consideratione, genera, diuidi possint determinantia. Omnia autem quae vel sunt vel esse possunt, si generatim considero, aut per se

se sunt vel esse possunt, aut in aliis. Ergo quae determinant alia, sunt, quae vel per se sunt, vel esse possunt, vel in aliis.

§. XXIII.

Quae per se sunt, aut esse possunt, aut sunt simplicia aut composita. Quare per se alia determinantia, sunt vel simplicia vel composita.

§. XXIV.

Composita, per quae corpora hic intelligo, aut considerari possunt quatenus sunt extensa, aut simul quatenus vim habent ad mutationes certas producendas. Quae priori modo alia determinant, mathematice determinant; quae posteriori, physice.

§. XXV.

Simplicia, per quae spiritus hic intelligo, praedita sunt facultate repraesentandi, appetendi, auersandique. Quae igitur per facultates simplicium determinantur, aut per representationes determinantur, aut appetitiones auersationesque. Scientia illa, quae circa appetitiones auersationesque versatur, scientia vocatur moralis. Ergo quae moraliter determinantur, per appetitiones & auersationes simplicium determinantur. Circa genuinum usum facultatis cognoscitiae versatur Logica. Ergo logice determinantur, quae per representationes, notiones, iudicia, propositiones determinantur.

§. XXVI.

Ex representatione itaque rerum generatim sequitur, ea, quae determinant alia, aut Physice aut mathematice, aut logice aut moraliter ea determinare.

§. XXVII.

## §. XXVII.

Quidquid dum est necessario est (§ IX.). Ergo omnime etiam quod enti cuidam inest, illud, dum inest necessario inest, secundum canonem: *id quod est, quando est, necesse est esse.* Quare, quidquid est in ente, illud de eodem debet adfirmari, & quod enti non inest, de eodem etiam non debet adfirmari (§. III.). Iam cum determinatum sit de quo aliquid debet adfirmari (§. XII.); omnia, quae in ente sunt, *dum est;* sunt determinata. In quo autem omnia sunt determinata, illud omnimode est determinatum (§. XX.). Ergo quidquid existit, est omnimode determinatum.

Dum omne ens dico omnimode determinatum, nolo id ita intelligi, ac si omnia quae de ente adfirmari debent, absolute necessario debeant adfirmari, ita ut ens illud, in se consideratum, aliter esse non possit. Hac enim ratione omnis tolleretur contingentia, & omnia absolute necessario existerent, nec vila ratione possent mutari (§. XI.) omnimoda quoque entis determinatio semper eadem esse deberet. Sed cum hoc sit contra experientiam, vt pote quae docet, vnum idemque ens variis modis posse non solum determinari, sed reuera etiam determinari, absurdum foret, eo sensu omnia existentia dicere omnimode determinata. e. g. Studiosus Theologiae est ens omnimode determinatum. Si scholae praeficitur, iterum est ens omnimode determinatum. Sed haec, illius determinatio, non eadem est cum priori, quae enim de eo, studio debebant adfirmari, iam cum rector est, non vterius de eo adfirmari debent, quia ea non vterius in eo obseruantur, quae faciebant, vt studiosus dici deberet.

## §. XXVIII.

## ( 17 )

## §. XXVIII.

Cum omne, quod existit, sit omnimode determinatum (§. praec.); illud, quod non ita est determinatum non existit. Pone etim, ens quoddam existere; quod non omnimode est determinatum, tunc eidem inesse debent, quiae de eodem non debent adfirmari (§. XXVII. XX.). Cum autem omne, quod enti inest, de eodem etiam debat adfirmari (§. praec.), hoc autem non liceret, si non omnimode determinatum existere peneremus; sequitur ut illud, quod omnimode non est determinatum, neque existat, neque existere possit (§. II.).

## §. XXIX.

Ab existentia rei ad eius possibilitatem argumentari semper licet. Quare etiam ab omnimoda determinatione ad determinabilitatem firma est consequentia. Iam cum id, quod existit, omnimode debeat esse determinatum (§. XXVII.); illud quod est possibile, deberet esse determinabile. Et quod non est determinabile, etiam est impossibile.

## §. XXX.

Per rationem sufficientem intelligitur id, ex quo intelligi potest, cur aliquid sit. Iam cum nihil sit, nec fiat sine ratione sufficiente, semper aliquid debeat esse, ex quo intelligitur, cur aliquid sit vel fiat. Determinatum est propter determinantia (§. XIII.). Ex determinantibus igitur intelligi debet, cur sit determinatum. Quare determinantia continere debent rationem sufficientem determinati.

## §. XXXI.

Licet autem determinantia in se continere debeat

C ratio-

rationem sufficientem determinati, differentia tamen intercedit, inter determinantia & rationem sufficientem. A determinantibus enim pendet, vt sit determinatum (§. XIII. seq.), a ratione autem sufficiente, vt, cur sit determinatum intelligatque explicari possit. Quare fieri potest, vt quis omnia noscat determinantia, & tamen non intelligat rationem sufficientem. Cui autem ratio alicuius rei sufficiens nota est, is etiam intelligere debet omnia determinantia (§. XXX.).

## §. XXXII.

Cum adeo ratio sufficiens & determinantia differant; id quod de determinantibus adfirmandum, applicare non licet ad rationem sufficientem. Sic, si determinantia rei per ista determinatae adferant necessitatem (§. XIV.) ratio sufficiens nullam rei adfert necessitatem (§. XXX. seq.).

## §. XXXIII.

Interim tamen cum determinantia contineant rationem sufficientem determinati (§. XXX.); ratio sufficiens est vbi sunt determinantia, & vbi sunt determinantia, ibi est ratio sufficiens. Quare tuto argumentari possum, a praesentia rationis sufficientis alicuius rei, ad praesentiam illorum, per quae determinatur. Et sic propter hunc nexum idem de ratione sufficiente possum praedicare, quod de determinantibus. Nimurum: posita ratione sufficiente, ponitur id, quod per eam potius est, quam non est (§. XIII.): quidquid est in ente existente, illud habere debet rationem suam sufficientem, & ens illud in quo aliquid esse fingitur, quod non habet rationem sufficientem, illud non existit, nec existere potest (§. XXVIII.).

## CAPVT

## C A P V T II.

*De veritate generatim.*

§. XXXIV.

**D**E veritate generatim acturus, primum est ut quae-  
ram generalem veritatis definitionem, vt non so-  
lum ex ea possim indicare, quae de veritate gene-  
ratim sint dicenda, sed & quot genera sint veritatum, quid-  
que ad singula genera debeat adiplicari. Optime hoc fie-  
ri posse confido, si varios mihi casus proponam, quibus  
aliquid aut verum aut falsum habendum esse, quilibet  
confitetur.

§. XXXV.

Quilibet concedere debet, sequentia haec esse vera.  
1) tempore meridiano, cum sumus in foro, corpora quae  
nos circumstant, possumus a se inuicem distinguere, sol eo-  
dem tempore radios suos mittit in terram nostram, Caius  
certo tempore debet edere, bibere, dormire. 2) fieri pot-  
est vt cras pluat, vt rex Galliae proelium amittat. 3) Est  
hoc vinum, quod bibo, vinum aqua mixtum, est hoc au-  
rum, argentum &c. fuerunt aliquando Philosophi Aristoteles, & Cartesius. 4) Caius vir prudens atque pius, dum  
id mihi promisit, & facere id potest, paeſtabit. Contra  
vero si dico 1) hodie coelo sereno nulla corpora a se inuicem  
possumus distinguere, Caius homo sanus, sexaginta  
annos natus, nunquam, neque cibum sumsit neque bibt,  
& intra hoc tempus, duas tantum horas dormiuit. 2) Fie-  
ri potest vt turris huius vrbis se moueat eloco suo & ve-  
niat in vrbem aliam. 3) Fuit aliquando homo, sede-  
cim habens oculos, centum nasos, tres pedes, vnum bra-

C 2

chium

chium, duo capita, magnum stomachum, nullum cor, multos genuit filios, nunquam tamen agnouit vxorem. 4) Ca-  
ius vir prudens & pius & sobrius in foro, multis pre-  
sentibus hominibus, violauit virginem &c. Falsa haec  
esse quilibet cognoscit.

## §. XXXVI.

Videbo nunc, quid sit id, ex quo intelligitur prius adlata esse vera, posteriora vero falsa. Quo cognito, ha-  
beo id, ex quo intelligo, quid sit verum & quid falsum,  
itemque qua ratione distinguitur verum a falso. Singula autem ista, quae vel vera vel falsa dicta sunt, cum accurate considero, nihil aliud inter ea intercedere deprehendo,  
quam quod in iis, quae vera dicuntur, aliquid inueniatur,  
per quod vel sunt determinata vel determinabilia. In iis vero, quae falsa dicta, nihil deprehendo, per quod aut sunt  
determinata, aut determinabilia. Hac ergo ratione ve-  
rum se distinguit a falso, ut si verum aliquid sit, etiam sit  
aliquid, per quod vel actu est determinatum, vel deter-  
minari tamen potest; si autem falsum aliquid habeatur,  
nihil deprehendatur, per quod vel est determinatum vel  
determinabile.

## §. XXXVII.

Ea, per quae aliquid aut est determinatum aut de-  
terminabile, constituant eius determinationem, aut deter-  
minabilitatem (§. XX.). Quare determinatio aut deter-  
minabilitas veritatem distinguit a falsitate. Cum autem  
quidquid est aut esse potest, omnimode debeat esse deter-  
minatum, aut determinabile (§. XXVIII. sq); etiam ad ve-  
ritatem illud requiritur. Quidquid est determinatum,  
dici etiam potest determinabile (§. XXIX.). Quare cha-  
racte-

racterem veritatis generatim pono in omnimoda determinabilitate.

§. XXXVIII.

Quidquid itaque omnimode est determinabile aut determinatum, illud est verum. Et quidquid est verum, illud est omnimode aut determinabile aut determinatum. Contra vero falsum est, quod aut plane non, aut non omnimode est determinabile.

Dum verum dico, quod est omnimode determinatum, probe obseruandum est, vocem omnimode, se non extendere ad omnia, quae in re quadam sunt possibilia, sed tantummodo ad ea, quae ad rem illam pertinent, in hoc vel alio statu consideratam (confr. §. XXVII. XX.)

§. XXXIX.

Quidquid est determinabile, illud etiam esse debet possibile (§. XXIX.). Quare quidquid est verum, illud etiam esse debet possibile, & quidquid est possibile, illud etiam est verum (§. XXIX. XXXVII.). Cum autem id quod impossibile, non sit determinabile; verum etiam esse non potest. Quare id tantum verum esse potest, quod est possibile (§. V.).

§. XL.

Cum impossibile sit, ut aliquid simul sit determinabile & non determinabile (§. III. IV.), illud quod veritati cuidam quoconque etiam modo contradicit, verum esse nequit e.g. si A contradicit veritati B, A verum esse nequit. Pone enim A, quod veritati B contradicit esse verum, tunc A esse debet determinabile (§. XXXVIII.). Et cum A contradicit B, B non est verum, adeoque non est determinabile. Per Hypothesin vero B est verum & est

determinabile. Quare si ponamus A, quod contradicit veritati B, esse verum, idem est ac si dices: B est & non est determinabile. Hoc autem est contra principium contradictionis. Ergo id, quod veritati cuidam contradicit, verum esse nequit.

§. XLI.

Cuius oppositum esse nequit, illud necessario est (§. IX.). Veritatis oppositum seu quod ei contradicit verum esse nequit (§. praec.). Ergo omne, dum verum est, necessario verum est.

§. XLII.

Si omne dum verum est necessario verum est (§. praec.); veritas non nisi unica est. Si negas, fieri potest, ut B, quod necessario verum est, esse possit C, D, E &c. Hae autem veritates C, D, E, non eadem sunt cum veritate B, sed eidem opponuntur. Ergo id quod veritati opponitur verum esse potest. Hoc autem est falsum (§. XL.). Ergo verum est (§. IV.) veritatem esse non nisi unicam.

§. XLIII.

Cuius oppositum aequo possibile, illud aliter esse potest, adeoque est mutabile. Veritatis oppositum esse nequit (§. XL.). Ergo veritas est immutabilis. Quidquid necessarium & immutabile est, illud semper ita fuerit, & futurum sit necesse est, adeoque est aeternum. Cum itaque veritas sit necessaria (§. XLI.) & immutabilis, veritas etiam est aeterna.

§. XLIV.

Quod est possibile illud etiam est conceptibile (§. VI.). Iam omne, quod verum, est possibile (§. XXXIX.). Ergo

Ergo omne etiam, quod verum, est conceptibile, & contra, quidquid est conceptibile, illud est verum.

§. XLV.

Cum verum sit quod est determinabile (§. XXXVIII.) etiam verum est quod rationem habet sufficientem. Determinabile enim nihil esse potest, nisi determinantia sint possibilia (§. XII.). Vbi autem sunt determinantia, ibi est ratio sufficiens (§. XXXIII.). Quare verum est quod rationem habet sufficientem. Et hac ratione dicere possum: vbi est ratio sufficiens ibi est veritas, & vbi est veritas ibi est ratio sufficiens. Et contra, vbi non est ratio sufficiens, ibi nulla est veritas, sed falsitas.

§. XLVI.

Criterium generatim voco id, vnde res agnoscitur & ab aliis discernitur. Veritatis ergo criterium erit id, vnde agnoscitur aliquid esse verum. Iam demonstratum est. 1) Verum esse id, cuius ratio est sufficiens (§. XLV.) & falsum cuius nulla est ratio sufficiens. 2) Verum id esse, quod est possibile, & falsum quod impossibile (§. XXXIX.). 3) Verum esse quod est conceptibile, & falsum quod non conceptibile (§. XLIV.). 4) Verum esse quod est determinabile, & falsum quod non determinabile (§. XXXVIII.). Quatuor igitur veritatis criteria proposui. Ex quo quis enim eorum possum agnoscere, vtrum verum aliquid sit an falsum. Cumque propter singula haec criteria verum aliquid sit habendum, totidem quoque expli- caui ad veritatem requisita.

§. XLVII.

Omnia haec criteria & ad veritatem requisita ita sunt comparata, ut posito uno, poni etiam debeant reliqua. Si enim

enim adsumo id, a determinabilitate desumptum, concedere etiam debo id, quod ponitur in possibilitate (§. XXXIX.) in conceptibilitate (§. XLIV.), itemque id, quod constituit sufficientia rationis (§. XLV.). Si adsumo tanquam criterium conceptibilitatem, concedere etiam debo possibilitatem, itemque determinabilitatem, & propter hanc etiam rationem sufficientem. Et sic etiam res sese habet, si concedo sufficientiam rationis. Hac enim concessa, negare non possum determinabilitatem. Ex hac autem intelligitur & possibilitas & conceptibilitas.

## §. XLVIII.

Licet autem omnia haec criteria, ita inter se sint connexa, ut concessa uno concedi etiam debeant reliqua, nihil tamen obstat, quominus unum eorum magis idoneum sit ad casus obuios illud applicandum, quam reliqua. Videbo ergo an etiam inter haec criteria, tale sit, & quodnam eorum ad casus obuios applicandum maxime sit idoneum. Nullum autem magis idoneum ad hunc finem hic esse reperio, quam quod simul indicat, ad quae attendendum, quando applicare id volo, quodque ostendit, unde aliquid sit, id quod est.

## §. XLIX.

Ad hanc normam generalia veritatis criteria (§. XLVI.) recensita, examinaturus, primum considero id, quo verum dicitur, quod est omnimode determinabile (§. XXXVIII.). Determinabilitas supponit determinantia (§. XLV.) indicat itaque, si cognoscere velimus utrum aliquid verum sit an falsum, respicere nos debere determinantia, an ita sint comparata, ut illud, quod volumus, propter illa debeat adfirmari. Vocabulum autem omnimoda indicat,

indicat, non sufficere, ut quaedam in eo, quod verum dicitur sint determinabilia (§. XX.) sed omnia esse debere tam intrinsece quam extrinsece (§. XV. seq.) determinabilia, ad eoque nos considerare debere omnia, per quae determinari aliquid potest, tam intrinsece quam extrinsece secundum omnes circumstantias. Cum igitur hoc veritatis criterium, statim indicet, ad quae attendendum sit, quando applicare id volo, itemque unde pendeat ut aliquid dici possit verum; ea habet requisita, quae (§. XLVIII.) desiderabantur.

§. L.

Cum verum dicitur quod est possibile (§. XXXIX.) indicatur quidem id, quod verum est, a contradictione liberum esse debere (§. V.); sed non simul indicatur, ad quae nam attendendum, quando intelligere volo, a contradictione aliquid esse liberum, licet per argumentationes quasdam inde possit erui. Si conceptibile dicitur verum (XLIV.) primum quidem indicatur, notionem eius, quod verum dicitur, posse formari, facile quoque perspicimus, esse aliquid debere, ex quo possit concipi. Sed cum itidem non indicetur, ad quae attendendum, quando applicare id volo, & unde sit conceptibile; hoc & prius a possibilitate desumptum, priori a determinabilitate desumto, postponenda esse patet.

§. LI.

Supereft illud criterium, quo verum dicebatur, cuius est ratio sufficiens. Indicat illud, ad quae attendendum, quando applicare id volo, scilicet ad ea ex quibus intelligitur cur aliquid sit. Sed quae nam sunt illa & ubi sunt? si ne dubio ea, quae continent rationem sufficientem, illa autem sunt determinantia (§. XXX.). Cum itaque hic character statim quidem aliquid indicet, ad quod attendendum; illud autem, quod indicat, quaeri debeat in determinan-

D

minan-

minantibus, sequitur priorem characterem, etiam huic esse praferendum, quia in illo uno statim verbo indicatur, quod hic fieri debet per plura.

§. LII.

Cum igitur criterium illud a determinabilitate sumptum, non solum ea continet, quae veritatis criterium continere debebat (§ XLVIII. sq.) sed etiam reliquis omnibus est praferendum (§. L. sq.): optimum illud esse ad applicandum, inde manifestum est.

§. LIII.

Ostenditur simul, quando quod verum est, dico determinabile, unde pendeat ut aliquid dici possit verum (§. XLIX.) quare modus simul cognoscitur, quo verum aliquid fieri potest. Iam definitio ea est realis, quae modum exponit, quo fieri aliquid potest. Ergo ex hoc charactere formari potest veritatis definitio realis.

§. LIV.

Plura autem & diuersa sunt, quae verae habentur, ut rigitur veritates a se inuicem possimus distinguere, alio charactere opus est. Iam patet ex (§. XXI.) a modo diuerso determinationis pendere, ut diuersa possimus distinguere. Quare modus quoque diuersus determinabilitatis veritates diuersas a se inuicem debet distinguere.

§. LV.

Ad definitionem nihil aliud requiritur, quam ut notas contineat sufficientes ad aliquid cognoscendum, & ab omnibus aliis distinguendum. Veritatem cognosco ex omnimoda determinabilitate, ob modum diuersum illius determinabilitatis vnam ab aliis diuersis distinguo (§. LIV.). Quare si duas illas notas coniungo, oritur inde veritatis definitio, & quidem realis (§. LIII.). Definio igitur veritatem in genere, per modum omnimodae determinabilitatis.

§. LVI.

§. LVI.

Verum est aliquid propter determinantia (§. XLV. XII.). Quot genera itaque reperiuntur eorum, per quae res possunt determinari, tot modi quoque determinabilitatis aperiuntur, adeoque tot genera quoque veritatis possunt constitui.

§. LVII.

Si plures sint modi determinabilitatis, fieri potest, ut aliquid, quod hoc modo est determinabile, alio sit non determinabile, adeoque ut aliquid, quod hoc modo verum est, alio sit falsum e.g. si veritates mathematicae & Physicae diuersimode determinantur, fieri potest, ut quod mathematicae est verum, Physice sit falsum. Minime autem inde sequitur, quod vna veritas contradicat alteri (§. XL.) quia diuersa hic adsumuntur determinantia.

§. LVIII.

Si A determinabile est per B, B vero per C, C per D, hoc vero per E, & sic porro usque ad X. hoc X aut ulterius per alia est determinabile, aut non determinabile, adeoque vel omnimode determinatum vel non determinatum. Si X dicis per alia determinabile, aliud adsummo Y & iterum quaero, utrum per alia determinabile sit, an non determinabile? si ulterius adfirmas per aliud esse determinabile, vel datur progressus in infinitum, vel aliquando in uno e.g. Z subsistendum est, quod per alia ulterius non est determinabile. Iam in Metaphysica demonstratur, non dari eiusmodi progressum in infinitum. Ergo in uno e.g. Z subsistere debemus, per alia ulterius non determinabile. Si illud Z per alia non est ulterius determinabile, aut est omnimode determinatum, aut non determinatum. Si non est determinatum, neque est, neque esse potest (§. XXVII. sq.), adeoque nec alia per idem possunt

determinari. Omnimode igitur illud Z determinatum esse debet. Si illud Z omnimode est determinatum, debet quoque existere (ibidem). Primum autem ens, cui in existendo nullus terminus ponи potest, & a quo omnia existentiam suam acceperunt est Deus. Ergo Deus est ultimum ens, in quo subsistendum, per quod reliqua omnia sunt determinabilia. Hac ergo ratione, iure optimo Deus vocatur fons atque origo omnium veritatum.

## §. LIX.

Connexa inter se dicuntur ea, quorum vnum ex altero potest intelligi. Si vnum per alterum determinatur, vnum intelligitur ex altero (§. XXX.). Ergo veritates sunt inter se connexae, quatenus vna per alteram est determinabilis. Si plures veritates sint inter se connexae, prior semper est determinans posterioris. Ex eo vero, quod vnum semper sit determinans alterius, & determinans semper antecedat, determinatum vero sequatur, oritur similitudo quaedam in successione. In eiusmodi autem similitudine ponitur ordo. Ergo ubi plures sunt veritates inter se connexae, ibi est ordo.

## §. LX.

Demonstrare aliquid dicimus, si distincte cognoscimus atque explicamus, quomodo adserum nostrum conexum sit cum suis principiis, sive quod idem, cum iis, per quae est determinabile. Demonstrabile igitur aliquid est, si nexus cognosci atque explicari potest, qui est inter id, quod demonstrandum & ea, per quae est determinabile. Veritas intelligi potest ex determinantibus (§. XLIX.). Quare explicari quoque potest, quomodo veritas connexa sit cum iis, per quae determinatur. Hac autem in re consistit demonstrabilitas. Ergo veritas est demonstrabilis.

## §. LXI.

§. LXI.

Si illud (§. praec.) : veritas est demonstrabilis, intelligendum esset, de omni quod verum est, etiam primum principium: impossibile est idem simul esse & non esse, aut demonstrabile esse deberet aut falsum. Si esset demonstrabile, adesse deberet aliud quoddam, ut nexus qui est inter hoc & illud possit explicari (§LX.) adeoque per aliud quoddam esse deberet determinabile. Sed est illud principium primum. Quare extra se nullum aliud admittit, cum quo esset connexum, vel per quod esset determinabile, adeoque esset falsum.

§. LXII.

Sed est illud principium primum & confert aliquid ad determinationem aliorum, ita ut alia per illud sint determinabilia (§ III.). Quare ipsum omnimode determinatum adeoque verum esse debet (§.LVIII. XXXVIII.). Cum autem sit indemonstrabile, demonstrabilitas non extendenda est ad principium primum.

§. LXIII.

Quod omnimode est determinatum, nec extra se admittit determinantia, determinatum est per se (§.XVII.) adeoque absolute necessarium (§.XVIII.). Quare principium quoque primum est absolute necessarium (§.LXI.sq.) Et quia verum est, necessario verum est.

§. LXIV.

Quatenus habitu gaudemus adserita nostra demonstrandi, eatenus scientiam eorum habere dicimus. Quatenus ergo habitu gaudemus veritatem demonstrandi, eatenus scientiam habemus veritatis. Eat enus autem demonstramus varitatem, quatenus nexus distincte explicamus, qui est inter determinatum & determinantia (§.LX.), h. e. inter id, quod verum dicitur, & inter ea, per quae determinatur vel determinabile est.

§. LXV.

§. LXV. Determinabilitas tandem requirit ens omni-mode determinatum, ut alia per illud possint determinari (§. LVIII). Tandem dico, requiritur ens existens. Nam in serie determinabilium, qualis §. cit. quoduis semper determinabile est per proxime antecedens, licet illud reuera non existat, sed existere per alia tantum possit. Consideratio ergo entis occasionem dabit, diuersa veritatis genera eruendi (§. LVI.). Quod genera itaque erunt entium, & quot diuersa in ipsis deprehendentur, per quae alia possunt determinari, tot genera quoque veritatis possunt constitui.

§. LXVI. Iam sequitur ex ipsa rerum contemplatione, ea, quae determinant alia, aut physice, aut mathematice, aut logice aut moraliter determinare (§. XXVI.). Quare tot genera veritatis quoque possunt constitui, ita ut veritates generatim diuidantur in Physicas, Mathematicas, Logicas, & morales.

§. LXVII.

Omnes autem veritates istae (§ praec.) supponunt res per quas possunt determinari (§. XXII. sq.). Quare res ipsae determinatae esse debent. Quapropter veritatis genera illa supponunt veritatem rerum ipsarum, seu quae rebus ipsis ineft. Haec autem veritas vocatur Metaphysica. Ergo de ea prius est agendum quam de reliquis.

---

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQUE  
SAMVELI RAYMANNO

S P D

Sigism. Iac. Baumgarten, S. Th. Prof. P. Ord.

**E**ximio TVO et singulari plane bonaे mentis ac litterarum studio, eiusque felici successu tantum ego delector, quantum delectari potest TVI amantissimus. Non citius enim innovasti mihi familiarius ab experientissimo PATRE TVO curae meae traditus, quam liberalē ingenii mentemque aduersus litteras egregie animatam dēcamare, immo non bene solum de TE sperare,  
verum

verum et confidere coepi, fore ut TVORVM exspectationem impleas  
 et superes longissime. Quam ob rem bellam hanc opportunitatem  
 gratulandi TIBI studiorum tirocinia dimittere nolui, sine aliqua mea  
 in TE voluntatis significatione, et publico incitamento ad virtutis et  
 litterarum stadium decurrentum fecilissime. De argumento disputa-  
 tionis vbi primum resciui, ex notissima cogitandi lege incidi in verba  
 Pontii Pilati Procuratoris Romani Ioannis c. XVIII. comm. XXXVIII.  
 obvia: *Quid est veritas?* ad quorum conceptam formulam a pleris-  
 que de labore vestro iudicatum iri opinor. Non iam de interpretum  
 diuortii compendoris labore, fator tamen in illorum me sententiam  
 dudum transiisse, quibus iniquissimus iudex Seruatorum optimum,  
 postquam veritatis mentionem fecerat, sibique regnum veritatis vindicau-  
 erat, derisurus ita pronuntiasse videtur, ut tam contemptum harum  
 ineptiarum, quas ad forum suum nihil pertinere arbitrabatur, quam et-  
 iam desperationem de ope ipsi ferenda declararet. Nouerat yasferri-  
 mus homo obsequium amicos, veritatem odium parere, eiusque partes  
 saepissime non sine fortunae iactura defendi, quo mirifice abhorrebat.  
 Impeditorem simul cognitionem veri suspicabatur, quam ut magnum,  
 operae in ea inuestiganda nauandae pretium laturum se speraret, quare  
 de cauſa Seruatoris veritatis patroni conelamatum esse edicebat. Pro-  
 prius ab hac levissimi animi sententia absunt non dicam mortales ple-  
 rique, qui quidquid veritatis est, cuius ambitus patet latissime, susque-  
 deque habent, verum etiam multi qui vltra plebem sapere et aqui bo-  
 niique studiosi esse volunt, dum veri certique sunt admodum incurii, cui-  
 us studium nisi noxiū, inane certe ac minus profuturum pronuntiant.  
 Erit igitur eo enitendum omnibus qui vel edociti vel experti intelli-  
 gunt, quanti intersit felicitatis humanae, veritatem cognosci et am-  
 plificari, vt prouideant nequid ex contemptu veritatis cuiuscunque de-  
 maium ordinis illa sit, detrimenti capiat utilitas publica. Laudo prae-  
 clarum conatum TVVM, ornatissime Raymanne, de veritatis natura  
 explicanda bene merendi, eiusque defensionem publicam suscipiendo,  
 quam ominor felicem. Quod reliquum est DEV M O. M. precor, ut  
 TE spiritu sanctissimo in omnem diuinam veritatem transducat, in ea  
 que non cognoscenda magis quam viuendo exprimenda dirigat, stu-  
 diorum in primis mutationem, quam a Parente TVO indulgentissimo  
 ipsoque DEO non obscuris voluntatis suae indicis iussus, iam medi-  
 taris, ex nostris inmedias scholas concessurus, fortinet abundantissi-  
 me. Dedi ad d. VI, Id. Octobr. MDCCXXXV. NOBIS

32.

## NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE RESPONDENTI

S. P. D. P R A E S E S.

**O**Mnes qui *Te* norunt, aut *Tecum* sunt versati, maxime autem ii,  
quorum doctrina vslis es, non possunt non adsiduitatem diligen-  
tiamque *Tuam*, qua studia tractasti, quam maxime laudare, de eaque  
testari. Sed quid opus est, testes etiam oculatos producere singularis  
*Tuae* diligentiae, aut commemorare, quamnam de *Te* nobis spem fece-  
rimus. Publice enim cum respondentis munus suscepisti, iam ostendis  
operam *Tuam* in litteris prosectorio non frustra *Te* collocaſſe; non solum  
eorum, qui *Tecum* versantur, sed speciatim etiam *Parentis Tui* Excel-  
lentissimi atque Experientissimi spem & desiderium adhuc impleuisse,  
*Teque* filium tali *Patre* dignum gessisse, ita ut dubitandum non sit, fore  
vt eruditio *Tua* breui tempore magno reipublicae sit emolumento.  
Gratulor igitur *Parenti Tuo* Excell. atque Experient. de filio tali orna-  
tissimo. Gratulor etiam *Tibi*, Amice dilectissime de edito eruditioſis  
*Tuae* specimine. Deus O. M. omnes *Tuos* conatus proſperrime eue-  
nire ſinat, ita vt tendant in nominis ſui gloriam, in aegrotorum, quo-  
cunque ſenſu vocem hanc ſumere *Tibi* placebit ſalutem, *Tuam* felicita-  
tem, *Parentum Tuorum* gaudium ac ſolatium. Vale. Datum Ha-  
lae d. XIV. Octobr. MDCCXXXV.

**S**Olius odii triftior dici parens | Parit duabus horulis,  
Pertiaſa tandem *Veritas* | Addetque, credo, Gaudium, Ma-  
Planſum patrono, Gloriam, Vi- | chaones,  
Goriam | Foeunda *Veritas* ſatis?  
Nobiliffimo Respondenti, crescenti Medico, problema  
hoc medicum gratulabundus proposuit  
*M. Alexander Gottlieb Baumgarten.*

**A**MICE PRAESES, TVque amice RESPONDENS  
Magisque amica VERITAS, triumphorum  
Tres candidati! VERITATE, teſtante,  
Felicitate! paean! triumphe! viciſtis!  
Adiecit haec amoreum ſuum erga Praefidem fratrem & Re-  
ſpondentem amicum ſuum teſtandi cauſa  
*Carolus Christianus Wigandus, Wernigerodanus.*

**G**OLTE Warheit unten liegen | Leidets nicht! geehrete Zwey  
Wind und leere Worte ſiegen? | Zeigt der Welt: was Warheit ſey.  
Dieses ſchrieb das Hoch Edl. Herrn Praefidis und Wohlebd.  
Herr Respondentis ergebenſter Diener  
*Christian Ernst Berth,*  
Gymn. Halens. Coll. Sextus & Cant. Magrit. opponens.





He 2014

(1)

Retro ✓



VD 1700

TA-ZOL | A1





DISPV TATIO PHILOSOPHICA  
P R I M A  
DE  
**VERITATE**  
QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
AD D. OCTOBRIS M DCC XXXV.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICET  
**M. ERNESTVS CAROLVS  
WIGANDVS**  
RESPONDENTE  
**SAMVELE RAYMANNO**  
HVNGARO EPERIENSI COMITATVS  
SAROSIENSIS.  
HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITTERIS H ENDELIANIS.